



# AD PRIMUM TENTAMEN.

## AD PHÆNOM. I.



Quandoquidem nomen ejus Artificis, qui Campanæ urinatio-  
riæ periculum tam feliciter in Scotia fecerat, *Sinclarus* reti-  
euit, ne cui tota illa res fabulosa videri queat, operæ pretium  
erit aliunde quoque mirandam hanc sub aquis profundissimis  
siccò etiam ore & corpore, saltem superiore, delitescendi, spi-  
ritum ibi liberè ducendi, aërisque adeò parvulam quandam  
Sphæram respirationi per horas plures sufficientem sub me-  
diis fluctibus expandendi, artem confirmare. Amplam certè Invento huic  
occasionem præbuisse imò jam tum notum & usitatum, quamvis imperfectiùs  
adhuc, artificium explicasse haut immeritò cuiquam videatur *Summus* ante-  
hac *Angliæ Cancellarius*, *FRANCISCUS BACONUS* Baro de *Verulamio*,  
qui sub inscriptione *PHÆNOMENORUM UNIVERSI* inter  
cæteras circa aëris condensationem historias & observationes hæc habet: *Ca-*  
*tinum ligneum vacuum versum & ad superficiem aquæ aequaliter appositum,*  
*& postea sub aquam demersum, secum portat usque ad fundum, vasis aërem*  
*universum, qui antea in catino continebatur: quod si cum simili æquilibrio*  
*rursus ex aqua educatur, invenias aërem in non multò minus spatium (for-*  
*tasse legendum est, in multò minus) quàm antea implebat, se recepisse, quod*  
*ex coloratione labri catini ad locum, quo aqua adscenderat, & à quo intror-*  
*sum aër se receperat, manifestum erit. Et paucissimis interjectis: Ad com-*  
*modiorem moram operariorum, qui sub aqua opus aliquod moluntur &*  
*peragunt, excogitatum fuit, ut dolium quoddam instar alvei pararetur ex*  
*metallico sive aliqua materia quæ fundum peteret, id tripode sustineretur, pe-*  
*dibus ad labrum dolii affixis, qui pedes essent altitudinis minoris quàm str-*  
*tura hominis. Dolium istud in profundum demittebatur, cum universo,*  
*quem continebat, aëre, eo modo quo de catino dictum est, & in pedes suis plan-*  
*tabatur ac stabat, juxta locum, ubi opus faciendum esset. Urinatores aë-*  
*rem, qui iidem erant operarii, cum sibi respiratione opus esset, caput in ca-*  
*vum dolii inferebant, & recepto aëre rursus ad opus se conferebant.* Nos  
quæque